Dissertatio physico-medica de febrium natura, causis, differentiis & symptomatibus ... / [Andreas Jacobaeer].

Contributors

Jacobaeer, Andreas, active 1685.
Vater, Christian, 1651-1732.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Wittebergae : Literis Schultzianis, [1685]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/m4qnp59x

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

39

Q. D. B. V.

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE Febrium Natura, Causis, differentiis & Symptomatibus,

Quam

CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO & EXPERIENTISSIMO

DN. CHRISTIANO VATERO

Phil. & Med. Doctore Famigeratissimo,

Præceptore & Patrono suo æternùm colendo,

Publico Eruditorum Examini sistit

ANDREAS JACOBÆER, Pirnens.

IN AUDITORIO MEDICO,

Ad D. XIX. Decembr. A. M. DC. LXXXV.

WITTEBERGÆ,

Literis SCHULTZIANIS.

I. N. J.

PROOEMIUM.

Licet innumeros ferè Scriptores jamdudum materiam hanc, quam inquirendam suscepi, non tantum tractasse, sed ferè exhausisse, me non fugiat, adeo ut nihil ferè aut addendum, aut desiderandum cuiquam videri posset; Nihilosecius cuilibet rem penitius inspicienti, Authorumq, etiamsi recentissimorum, doctrinas & hypotheses sano judicio conferenti, facilè patebit, hanc certe (si ullam aliam) doctrinam nondum satis excultam & evidenter traditam esse, Authorumq, hypotheses principia & dogmata non solum dubia maximè & lubrica, sed etiam sibi invicem contraria esse; ut vel in hoc verum ab Helmontio *dictum arbitremur, Medicinam ab Hippocratis usque temporibus nihil plane crevisse, sed stetisse, imo magis dubiam redditam fuisse. Et tamen hac præcipuè doctrina nos instructos maximè, certos & confirmatos oportebat esse, non solum quod in universum omnibus ferè morbis complicentur febres, sed quod hæ præ omnibus aliis morbis in hisce præcipuè tractibus frequentes sint, adeo, ut hic VVitteberga & Medicos & ægros non nisi cum febribus maximè conflictari videam. Exposui igitur, L. B. sequentes Aphorismos, quos quantum fieri potuit, breviter & succinctè concepi, Tuo judicio, non ut alios, sed me ipsum eo ipso erudiam, & sicubi erravero, me imposterum corrigere & melioribus judiciis cedere discam. Sicuti enim aliorum erroribus ad modum succensere vel insultare inhumanum, ita nec meis pertinaciter inhærere consultum judicabo.*

CAP. I.

De Febribus in genere.

§. I.

QVandoqvidem instituimus investigare febrium naturam, usitata methodo procedere possemus à nominis evolutione; nisi eadem jam tum ab aliis & fere omnibus Authoribus, etiam ad nauseam usqve tradita esse constaret, ad qvos Lectorem etiam remittimus. Potius igitur essentiæ febrium indagandæ operam dabimus.

Febrium Natura in qvo consistat?

§. 2. In Limine autem notavimus, adhunc usq; diem febrium doctrinam magis dubiam redditam fuisse, id qvod vel ex solâ Essentiæ febrium explicatione patebit. Recentiores enim & Recentissimi non consentiunt, qvid mirum de Veteribus? Inter Recentiores maxime *Sylvii*, cui alias tota Europa ob dogmata saluberrima ab aliis neglecta, devincta est, Sententia invaluit, qvâ febrem non per intemperiem calidam juxta Veteres, sed potius pulsum præternaturalem & freqventem definire amant. Et hæc tamen non paucis, nec immerito displicet, siqvidem pulsus auctus, freqvens vel celer non exhaurit essentiam febris, qvam vi denominationis suæ involvit, aut non esset appellanda febris, à februo vel ferveo derivatâ voce. Datur etiam extra febres pulsu auctus eg. ab animi pathematibus, grumis sangvinis, vermibus aliisq; in corde contentis; Pulsus auctus non est potissimum, præcipuum vel manifestissimum, de qvo conqværuntur ægri, qvod sibi maximè curari postulant, & à qvo alias rationem denominandi & omnes affectus definiendi petimus; Non esset febris amplius ad morborum intemperiei, sed symptomatum classem referenda & qvæ sunt alia momenta, qvæ omnia hic recensere nihil attinet.

An in Pulsu aucto?

An in circulatione sangvinis aucta?

§. 3. Multò minus circulatio sangvinis aucta, qvam alii eligere malunt, essentiam febrium exprimere videtur. Licet enim vel maximè concedatur, febres omnes comitari pulsum freqventem, inde tamen sangvinis circulatio aucta non est necessaria aut

ria, aut perpetua. Potest enim pulsus auctus consistere cum sangvine crasso, viscido, aut plane effuso. Pulsus certe in principio paroxismorum febrilium, ubi æger vehementissimum frigus percipit, æqve ac in progressu velox est, neqve tamen tunc sangvinem jam in motu vehementi circulatorio esse, qvin potius stagnare qvasi & in se fermentescere crediderim. Et licet esset perpetua, tamen adhuc inter symptomata concomitantia spectaret, qvæ essentiam sui morbi seqvuntur, non verò solitarie exhauriunt.

§. 4. Dixerim igitur potius cum *Willisio*, formalem rationem febrium in fermentatione sangvinis præternaturali consistere, nisi hæc qvoqve minus manifesta, in sangvine potius, qvam in partibus solidis consisteret, indeq; rationem causæ magis, qvam morbi optimo jure haberet. Illi autem qvi in perturbata sangvinis & spirituum mistura, vel motu febris essentiam qværunt, nihil nisi fermentationem intestinam inveniunt.

An in fermentatione p. n. Vel perturbatâ sangvinis & spirituum mistura.

§. 5. Sed qvid obstat, qvo minus Doctoribus nostris majoribo & præcipuè Communi Præceptori nostro *SENNERTO* consentiamus, qvi febrem ad classem morborum intemperiei & qvidem calidæ retulerunt; & definiamus eam, qvod *sit intemperies totius corporis calida à fermentatione, seu motu intestino sangvinis & spirituum præternaturali oriunda*; Eò enim ducit nos ipsa nominis ratio; estqve calor potissimum urgens, de qvo sanè omnes febricitantes conqveruntur. Novi qvidem objectiones *Helmontii* & aliorum, nempe qvod in principio febrium intermittentium & continuarum potius frigus urgeat, qvam calor; qvod febres Malignæ & Castrenses dentur, in qvibus nullus calor deprehenditur; In qvam rem etiam afferunt partim Authoritatem ipsius *Hippocratis* & *Galeni*, ut videre est apud *Rolfinc. de Febribus Cap. 13.* partim exempla è *Schenk. obs. l. 6. Barthol. C. 3. Epist. 293. seqq. Kerger de ferment. §. 3. p. 229.*

An in intemperie Calida Corporis

§. 6. Verùm una vel altera distinctio inter principium & statum febrium, inter calorem internum, vel suppressum & externum seu expansum, vel manifestum, omnem difficultatem tollunt. Mirum non est qvod ingruente primum fermentatione in febribus continuis & intermittentibus, præcipuè in subjectis phlegmaticis,

maticis, scorbuticis & melancholicis, frigus magis percipiatur, ob expansionem spirituum pro nunc præpeditam & interturbatam, unde necessariò sangvis & reliqvi humores, præcipuè acidi, spiritu rarefaciente destituti, segnius cum spiritibus moventur, vel plane restitant, & in hoc ipso consistit frigus: Continuante vero fermentatione, non potest, qvin partes ♀reæ lucidæ qvam exiguæ & suppressæ etiam sint, tamen excitentur nonnihil & moveantur præter naturam, & eo ipso tunc ad est calor; qvi si vel maximè opprimitur á principiis contrariis, humoribus crassis viscidis, uti in istis, qvas illi forsan Autores viderunt, interim tamen fuit calor intestinus, in ipso sangvine notabilis, qvi etiam procul dubio se vel sola siccitate oris, siti, pulsu freqventi, ⊡na turbida, plus minus rubicunda, vel tenui, exseruit, licet illi adstantes non deprehenderint vel deprehendere noluerint.

Subjectum principale

§. 7. Propterea autem non judicamus, calorem istum in corde primario accendi; Ipsum enim cor omnem calorem naturalem, qvem habet, à sangvinis & spirituum motu accipit. Ubicunqve igitur heterogenea & fermentabilia principia operosa miscentur Spiritibus, sive in corde, sive pulmonibus, sive veniis axillaribus, sive hepate, vel alibi, ibi etiam motus intestinus sangvinis oriatur necesse est. Sangvinis autem massâ in motum fermentitium redacta, vel saltem spiritibus vitalibus in sangvine tumultuarie motis, statim ad est calor universi corporis, per qvod circulantur & reliqva symptomata febrium essentialiter consequentia.

Radicale

§. 8. Communicatur, autem fermentum istud modo è primis viis & mediante chylo, qvi per ductum thoracicum sangvini infunditur; modo ex hepate, liene, utero vel glandulis &c. impuritates acidæ vel alcalinæ, ♀reæ & ⊖inæ, viscidæ, crudæ fœculentæ redeunt per circulum in sangvinem; Modo per inspirationem & transpirationem intrat miasma fermenti vice fungens, & tunc radicalis sedes etiam in tam diversis locis, ventriculo, mesenterio, intestinis, hepate, liene, utero, pulmonibus &c. est qværenda.

Causa proxima

§. 9. Ab omnibus enim fomes & dispositio fermentationis san-

nis sangvini, aut ad minimum motus spiritibus e irrgularis conciliari potest; posita autem fermentatione sangvinis ♀rei, vel spirituum motu turbulento, non potest, qvin immediate & infallibiliter seqvatur calor; qvaliscunqve etiam sit. Qvemadmodum enim in se & formaliter omnis Ignis in rapidissimo particularum ♀rearum & lucidarum motu consistit, ita sensus caloris demum formaliter in corpore sentiente producitur à motu particularum ⊖no-♀rearum, fibrillas corporis blande vellicantium.

§. 10. Ab horrent qvidem multi fermentationis terminum tanqvam minus proportionatum, eumqve Cerevisiariis & Coqvis relinqvendum esse autumant. Et fateor; nisi qvis saniori judicio fermentationem acceperit, qvàm Cerevisiarii, nimium certè fallit & fallitur, nec à vulgo discerni poterit. Non video perturbatam sangvinis misturam, vel spirituum, aut Archæi motum irreqvietum in sangvine diversum qvicqvam à fermentatione intestina inferre, qvàm nos concepimus. Utimur terminis technicis à rebus petitis, qvæ qvotidie in Chimia videntur, & qvæ nos in cognitionem plurimorum naturalium phænomenorum ducunt. Ratio certè genuina fermentationis consistit in motu intestino & pugna particularum subtilissimarum (adeoqve non manifestè sensibilium) qvatenus particulæ spirituosæ ⊖næ & ♀reæ acidæ & alcalinæ, vel mixtæ in liqvore misto solutæ & excitatæ undiqvaq; erumpere vel exhalare conantur, qvibus autem resistunt partes complicatæ crassiores, fixiores pingviores, viscosiores &c. Unde necessariò pugna oritur, qvalis qvalis etiam sit, qvousq; volatiles partes ab ambiente calore adjutæ prædominantur, avolant, & fermentatio cessat. Et hinc etiam est, qvod mixta tantum corpora ⊖nis & ♀reis partibus volatilibus & fixis gaudentia, eaqve humida vel fluida, nullatenus vero simplicia, vel sicca ad fermentationem apta sint.

§. 11. Ne minimam qvidem ex omnibus reqvisitis vel circumstantiis in sangvine desiderari posse judico; Imò in sangvine exacte sano ⊖nas & ♀neas partes volatiles & fixas, activas & passivas, spirituosas & minus spirituosas, aqveas & terreas adesse, nemo credo dubitat; Sed nec acidum, nec alcali, tanqvam principia *Causæ proximiores.*

actio-

actionum magis manifestâ, & hodie admodum trita, eidem denegari poterunt; Alcali qvidem rursus facile concedunt omnes eò, qvod assumtio ⊖ium volatilium & fixorum qvotidiana mediantibus cibis qvibuscunq; & ⊖ium tàm copiosus proventus ex ⊡a, sangvine, ossibus aliisqve in resolutionibus chimicis id abunde ostendant. Eadem vero documenta etiam probant mihi acidum reale in corpore nostro & præcipuè humoribus. Vescimur enim potissimum ⊖: communi, potui inserint cerevisia vel vinum; nonne autem in his recondita sunt ⊖ia acida, non ne in aceta degenerant? Vel si dicas in his acidum non esse formale sed tantum materiale, perinde est, modo intra corpus explicari possit. Et nonne utimur in cibis ipso aceto aliisq; acidis formaliter talibus, qvæ qvidem in alcalia statim abire rursus in corporib9 nostris, aut annihilari, vix mihi persvadebit qvisqvā, præcipue, cum è Capite mortuo ⊡æ ipsum ⊖ Culinare, & ex eo ⊖is acidum paratu non impossibile fit: Ne dicam, qvod Chylificatio, Sangvificatio aliæq; humorum motiones, calculorum & tophorum generationes absq; acido explicare vix possibile sit, de qvo consulatur *Sylvius* in operibus suis.

Causæ remotæ

§. 13. Qvodcunqve igitur è contrariis principiis præcipuè activis in sangvine excesserit, ex eo occasio fermentationis indeqve febris nasci potest. Et hinc est qvod tam diversæ causæ febrim producere aptæ sint. Ita modo cruditates ventriculi & primarum viarum, modo obstructiones, vel vulnera viscerum, modo transpiratio impedita, frigus extrinsecum, contagium, ira aliaqve innumera, qvæ hic recensere nihil attinet, febrium causæ existunt.

Differentiæ

§. 14. Addamus pauca saltem de Differentiis tam diversarum febrium, qvæ communiter desumuntur à causis, durationibus, complicationibus & symptomatibus. Ratione causarum communissima est distinctio in putridas & non putridas, qvæ tamen Recentioribus minus placet; si vero per putridas potius fermentativas concipim9, nihil absurdi seqvitur. Ita enim jam dudum *SENNERTUS* innuisse videtur, qvi utut statuat & explicet adhuc febres putridas sæpius tamē vocabulo ebullitionis & effervescentiæ

utitur

titur in *Tract. de Febribus* Conf. etiam *Piens. d. Febr. Part I. p. 256.* Et credo etiam Veteres ex ignorantia fermentationis putrefactionem tantisper substituisse, in iis, qvæ nunc, excultis magis & explicatis per Chymiam phœnomenis naturalibus, accuratiꝰ explicantur per fermentationem, cujus demum supremus gradus putrefactio est. Sed hac ratione omnes febres, vi antea dictorum, erunt fermentativæ, exceptâ forsan unica ephemera, qvæ tantum ab externo & superficiali spirituum motu exoriri & hinc uno eodemqve die, vel citius deficere creditur, qvæ tamen febris nomen vix meretur.

§. 15. Sub eadem Classe etiam continetur Differentia febrium Benignarum & Malignarum; Non enim semper humorum copia, vel saburra febres, præcipue continuas infert, sed minimum subinde miasma fermentativum nimis acre, volatile & penetrabile sufficit, qvod ipsis spiritibus promptissime se sociat, fermentationis medio se multiplicat, indeq, gravissima & subitanea symptomata inducit, qvibus etiam Medicus peritissimus vix resistere potest, & tunc dicuntur Febres istæ malignæ, ut distingvantur ab illis, in qvibus fermenta blandius agunt, indeq; minus periculi habent. *Benignæ & Malignæ*

§. 16. Sic etiam febres qvædam in specie à lympha viscida, acida acri in glandulis universi Corporis ab injuriis externis, aeris aliisqve erroribus dicetæ generata, producuntur; Ea enim, qvia alias ordine naturæ in sangvinem continuo circulatur, non solum continuam ejus fermentationem præter naturalem, sed etiam seri decubitus in viscera varia, stagnationes, coagulationes, indeq; anginas, pleuritides, phtises aliaq; simul efficit. Et tunc jure dicuntur febres istæ Catharrales. Habentur qvidem plures aliæ causæ, à qvibus febres denominari qveunt cum aliæ sint biliosæ magis vel pituitosæ, primariæ vel secundariæ, Comitatæ vel symptomaticæ &c. Sed hæ sponte sua patent & ubivis apud Practicos leguntur, *Catharrales*

§. 17. Id notabile est, qvod, licet omnes febres fermentativæ sint, idem tamen exacerbationis & remissionis tempus haud observent; Qvædam enim sunt continuæ vel continentes in specie: Qvædam intermittentes, & rursus vel simplices, vel inter se mistæ *Continuæ Continentes Intermittentes*

se mistæ & complicatæ, unde dantur e. g. Tertianæ simplices, duplices, triplices. Qvotidianæ, tertianæ, qvartanæ continuæ & plures aliæ; Sed de his mox specialioria dabimus.

Different. Ratione symptomatum

§. 18. Doctrinæ gratia omninò etiam admitti potest differentia Febrium rarione symptomatum potiorum, ita ut aliæ dicantur Anginosæ, Pleuriticæ, spas modicæ, sudatoriæ &c. prout eas docuit SYLVIUS, licet ab aliis tanqvam superfluæ improbentur.

CAP. II.

De Febribus intermittentibus.

§. 1.

Febres Intermittentes qvid sint?

POtissimum in sensus incurrit, febres alias per vices prorsus remittere & tamen per vices redire, alias verò semel productas à principio usqve ad totalem sui remissionem perdurare & affligere. Mitiores sunt & minus periculi habent remittentes, earum ergo natura præ cæteris facilior erit cognitu. Consistit autem ratio earum specifica in eo, qvod per diversa qvidem, sed tamen utplurimum certa temporis intervalla recedant & tamen rursus redeant, aliæ qvidem qvotidie, vel alternis, vel qvarto, qvinto imò octavo die.

Subjectum principale & Radicale Non sunt glandulæ totius Corporis

§. 2. Requiritur qvidem hic æqve ac in omnibus febribus sangvineæ massæ, tanqvam subjecti principalis fermentatio, sed principium fermentativum formale existere neqvit in ea, aliàs enim fermentaret continuo, sed necesse est, ut in parte aliqva corporis lateat, à qva aliàs ordinariè per certa ejusmodi intervalla cum sangvine commnnicatio fieri solet. Hinc neqve in glandulis vel vasis lymphaticis radicalis sedes intermittentium inveniri poterit; illa enim in totum non possunt obstrui, ita ut lymphæ cum M. S. communicatio planè inhiberi possit. Nec tamen in specie in glandulis salivalibus, vel pancreatica; illorum enim humor tantus non est, ut totam Massam Sangvineam in motum fermentativum concitare sufficeret. Nec deniqve versicula biliaris

Nec glandula salivales vel Pancreatitica Nec Hepar, vel Vesica fellea

liaris sola, vel etiam hepar, illa enim, præcipuè vesicula non tam facile obstruuntur, vel si obstruuntur bilem tantum à sangvine separari impediunt, unde potius continua febris, Icterus, vel alius morbus oriri debet.

§. 3. Omnium igitur maxime probabile videtur, viscera primæ coctionis conjunctim, maxime ventriculum, intestina glandulas & vasa mesaraica pro radicali intermittentium sede habenda esse, à qvibus tamen non excludendum volumus Hepar vel Lienem. Hepar enim bilem & lympham, Lien verò tantum lympham immediate chylo commiscent, & per eadem intervalla sangvini communicant. *Sed primæ viæ conjunctim*

§. 4. Hujus sed is certitudinem colligimus exinde, qvod viscera hæc per vasa plurima præcipue chylifera sangvinea & nervosa cũ sangvine communicent, qvando alias per certa intervalla, singulis scilicet 12. vel 14 horis pro diversitate cibationũ, roboris viscerum, aliarumqve circumstantiarum chylificationem absolvunt, chylumqve & lympham in sangvinem perfecte corrivant; Qvod in his pleræq; cruditates & viscositates à diætæ erroribus producantur; Qvod glandulæ horum & vasa tenuissima lactea præ cœteris ad obstructiones temporarias sint aptissima; Qvod hic præcipue ob eosdem errores, stagnationes cruditatum, bilis & succi pancreatici, ejusmodi formale febrium fermentum fabricari possit. Interim non nego qvod miasma qvoddam fermentativum hærere etiam possit in Massa Sangvinea, qvod revocet qvasi paroxismos febriles; Uti jam tum SENNERTUS NOSTER docuit l. c. & *Poterius* qvoqve seminarium febrile vocavit; Illud tamen sufficiens per se non erat, ad paroxismum inducendum. *Probatur.*

§. 5. Præterea constat omnes febres intermittentes antecedere iisq; conjungi imbecillitates & constitutiones pravas ventriculi & vicinorum viscerum; Omnes hypochondriacos, scorbuticos & similes obstructionibus primarum viarum laborantes his qvidem febribus præ cæteris obnoxios esse; Potissima & pleraq; symptomata in his febribus præcipue circa ventriculum & abdomen qvotidie observari; Ne recenseamus observata in cadaveribus à febribus istis peremptis obvia; Curas optimè ad ventriculum & pri-

mas vias dirigit; pro diversitate diætæ statim augeri vel imminui vel mutari febres istas; multos etiam sola pertinaci & constanti inedia se curare posse, & qvæ sunt alia.

Causæ §. 6. Id ipsum enim confirmat qvoqve causarum series: Si enim certum est, omnes febres à fermentatione præternaturali proximè dependere, idqve fermentum præcipuè in ⊖ibus sylvestribus crudis, minus subactis consistere; istud omnium optime à prima errorum officina communicari potest & debet. Acidæ qvidem prosapiæ fermentum in his potissimum peccare percipimus (1) E causis antecedentibus, qvando à diætæ erroribus, cibis crudis, viscosis, acidis, ♀reis, ⊖sis, aere frigido humido, vita sedentaria, malo hypochondriaco, scorbuto aliisqve communiter producitur. (2) E stagnatione fermenti, qvod non continuo, sed per intervalla turgeat & ad sangvinem ruat. (3) A Symptomatibus eg. Horrore, rigore, dolore gravativo, appetitu sæpius aucto, vel mutabili, somnolentia aliisqve, de qvibus etiam in specie qvædam suo loco dabimus. (4) Ab excretis pituitosis, acidis, crudis sivè à natura, sive per medicamenta promotis. Deniq; (5) A juvantibus, qvando omnium optime alcalia & alcalina saluberrimam opem contra easdem præstare videmus toto die.

§. 7. Interim non nego, præter acidum etiam ⊖inum acre ⊖sum in his peccare posse, imò hoc vel maximè, si non excedere, tamen sæpius cum acido de prævalentia decertare, judico, præcipue si incidat febris in cholericos, scorbuticos, siccos, juvenes &c. id qvod in tertianis præcipue è pauco horrore, sed ingenti æstu, vomitibus biliosis, siti nimio, vigiliis aliisqve sufficienter colligere licet: Utrumqve ergo peccet necesse est, alias enim fermentatio præternaturalis esset impossibilis, unum tamen altero prævalet.

Ratio paroxysmorum §. 8. Sed præcipua ratio adhuc reddenda restat, qvomodo fermentum istud in primis viis radicaliter productum per tam certa & stata tempora sangvini communicari rursusqve remittere penitus possit. Circa primum qvidem supponendum est, qvod singulis XXIV. horis, licet etiam bis, vel ter de die comedamus, demum succi nutritii distributio perfecta & plenaria in sangvine con-

contingere soleat, unde etiam Naturam intra spatium istud alvum ordinarie exonerare aliasqve excretiones manifestius instituere deprehendimus. Qvamvis qvidem in aliis plus minus, citius vel tardius hæc contingant, pro diversitate scilicet regiminis in dicæta, ciborum assumptorum, temperamenti & similium.

§. 9. Sed ita etiam febrium harum orgasmus non semper iisdem & certis intervallis, qvin etiam citius, vel tardius, gravius vel levius recurrit, pro ratione fermenti plus minus copiosi, acidi vel salsi, volatilis vel fixi, nec non prodiversitate assumptorum medicamentorum aliorumqve accidentium, uti jam tum nos docuit *ingeniosissimus Willisius de Febribus.* *Variant proxysmi interdum*

§. 10. Ita ergo persvasi sumus rationem & modum certæ & definitæ turgescentiæ, vel fluxionis fermentiad sangvinem deberi potissimum chyli & succi nutritii distributioni, qvæ uti in sanis singulis diebus semel & perfecte absolvi solet, ita ob copiam cruditatum sensim collectarum tamdiu impeditur, usq; dum membranulæ vasorum & glandularum partim ob copiam crudidatum, partim ob acredinem & turgescentiam fermenti in capaces, illud tandem cum chylo expellunt & ad sangvinem propellunt: Fieri autem potest, qvod copia pravi chyli & fermenti usq; ad turgescentiam mineræ suæ in aliis suppeditur ex una perfecta digestione & nutritione, qvam intra XXIV. horas circiter fieri diximus, & tunc fit febris qvotidiana; modo ex duabus tantum vel tribus, unde tertiana, vel qvartana oritur. *Qvomodo typum servant,*

§. 11. Sed objicere qvispiam potest, quod observentur etiam febres intermittentes qvintanæ, sextanæ, octanæ &c. uti jam tum observavit *Sennert. d. Febr. l. 2. c. 17. Piens de Febr. Part. 2. p. 99. Schenck. l. 6. obs. Etmüllerus in Prax. p. 269.* Imo observatæ sunt febres menstruæ, in qvibus singulis mensibus tantum paroxysmus rediit; Vel qvod magis mirum, anniversariæ, ubi tantum singulis annis certo qvodam die, præcipue natali afflixit paroxysmus, uti videre licet apud *Schenck l. c.* Eò usq; enim turgescentia fermenti febrilis in primis viis differri posse non videtur. Verum attendendæ sunt circumstantiæ, qvæ paroxysmos istos rarissimos induxerunt; Illa febris menstrua apud Schenckium oriebatur tantum, qvoties

menſtruam alias purgationem patiebatur, & anniverſaria circa diem natalem: Ejusmodi autem temporibus ſolennes mutationes naturales contingere ſolent, qvidni inter iſtas etiam fermentum febrile in primis viis latens aliqvoties excitari poſſet?

Qvemodo mutant

§. 12. Jam tum autem monuimus, qvod turgeſcentia fermenti febrilis non ſemper exactis intervallis, qvin ſæpius tardius vel citius recurrat. Nam ſi ægri cibis præcipue crudis, crasſis, acidis viſcoſis aliisq; Diætæ erroribus indulgent, paroxiſmi communiter poſtponunt, qvia obſtructiones augentur & confirmantur, ut eô difficilius & tardius erumpere qveat fermentum; Si vero ſobrietati ſtudent ægri, nonniſi cibis optimis, facillimæ coctionis, iisqve parce & præcipue medicamentis utuntur, anticipant & eo citius deficiunt, modo corpus præter hanc febrem cachexiæ labem fortiorem non contineat.

Et Transmutantur

§. 12. Et hinc etiam non rarum eſt, qvod febres hæ toties inter ſe transmutentur, ita ut è tertiana ſimplici modo duplex, vel triplex, modo qvotidiana, vel qvartana, mod etiam continua ſimplex vel mixta generetur & hæ vicissim in alias tranſeant; qvoniam cauſæ earum tantum loco natali, qvantitate & gradibus differunt, qvæ tamen inter ſe facile commutantur, erroribus qvibuscunqve obvenientibus.

Ratio remiſſionis paroxyſmorum

§. 13. Qvod autem paroxiſmi in his febriles toties & totaliter remittant, id exinde eſt, qvod fermentum febrile in ſangvine non ſit eſſentiale, ſed mutuatitium ſaltem. Illud autem poſtqvam aliqvamdiu cum heterogeneis partibus in ſangvine per ſe non adeo impuro conflictatum eſt, tandem à ſpiritibus ſuperatur, reſolvitur & rejicitur cum ſudore, ⊡na vel aliis recrementis, utut labes aliqva ob ſpirituum perditionem & ⊖ium fluorem à pugna relinqvatur

Ratio redditus paroxyſmorum

§. 14. Tamen redeunt de novo iidem paroxiſmi, ita ut tot qvaſi febres particulares generentur, qvot paroxiſmi redeunt. Nimirum fomes febrilis ob naturam ſuam viſcidiam, acidam non facile penitus è minera ſua & ſangvine emigrat, ſed relinqvit ubiqve ſcorias ſui generis cohærentes & reſtitantes: Hæ dum ita latent, partim propter ſtagnationem ipſam, partim propter acceſſum

ſum novorum ⊖ium (febricisantes enim qvicqvid aſſumunt, ob viſcerum conſtitutionem læſam, in cruditates vertunt) ſe multiplicant & æqve ac antea novum naturæ negotium faceſſunt, idem ſtadium decurrentes, qvod antea oſtendimus.

CAP. III.

De Febribus continuis.

§. 1.

AD differentiam intermittentium febrium dicuntur continuæ, qvæ à primo invaſionis momento usq; ad integram ſui ceſſationem, ſine totali ſui remisſione, perdurant; Sed in his qvoq; notatur differenria notabilis, qvoniam aliæ ſine omni prorſus remisſione ad ultimam & integram ſui ceſſarionem urgent, aliæ verò, licet non remittant penitus, ut intermittentes, tamen aut qvovis, aut tertio, aut qvarto die ſemel, vel pluries exacerbantur rurſusq; aliqvaliter remittunt. Unde illæ dicuntur continentes in ſpecie, hæ vero continuæ tantum. *Febres Continentes Continuæ.*

§. 2. Singulæ autem ſive continuæ, ſive continentes in ſpecie dependent à motu ſpirituum & fermentatione ſangvinis continua & conſtanti, ſecus ac in intermittentibus, ubi tantum per intervalla redibat, ob fomitem febrilem in ſangvine non contentum; In his autem iſte fomes neceſſariò in ipſo ſangvine formaliter, vel ad minimum in Maſſa lymphatica exiſtere debebat, utpote qvæ continuo cum ſangvine in variis locis perfunditur, nunqvam vero in totum ſufflaminari poteſt; alias enim non poſſet continua pugna & turba in ſangvine ac ⊖bus concitari. *Cauſa proxima.*

§. 3. Ea qvidem etiam ac in intermittentibus defectura eſſet, niſi major labes ſangvini & lymphæ cohæreret, eidemqve ab aliis viſceribus ſuccendibulum accederet. Etenim credo nullam febrem continuam oriri, vel exiſtere poſſe, niſi præter ſangvinis & lymphæ præternaturalem ſtatum viſcus vel pars aliqva, corporis habeat, qvod contribuere qveat. Præ omnibus chylus ſub-

digeſtio-

digestione in ventriculo plus minus corruptus, in duodeno à bile minus perfectus, sed variis modis alteratus, sub liqvoris fermentativi occulto acido - dulcis, aut acido - amaricantis volatilis & nidorosi formâ successive sangvini instillatus eo usq; vices fermentationis & circulationis leges subit, donec ulterius aut copiosius congesta ⊖ia heterogenea, vel qvacunq; occasione externa excitata, tandem ordinariam sangvinis fermentationem & spirituascentiam turbant indeq; febrilis fermentationis occasionem præbent, qva mediante natura ista heterogenea, sangvini suffusa, excludere conatur eventu modo felici, modo infelici.

Remota §. 4. Ita tale fermentum sæpius ex obstructo hepate vel liene ob scorias præcipuè biliosas minus secretas infertur sangvini. Tale communicat non raro etiam uleus qvoddam internum e. g. phtisis pulmonalis, modo inflammatio visceris pulmonum in pleuritide l. peripneumonia, modo scabies retropulsa, modo lympha acida vel in sangvine, vel in Colatoriis suis demum corrupta, modo sub contagii tegmine irrepit & qvæ sunt aliæ innumeræ ferè scaturigines.

Differentiæ §. 5. Et hinc etiam variant tantopere febres hæ non solum ratione causarum præmissarum, sed exinde etiam ratione morum symptomatum complicationum & durationum. His in specie & freqventissime, qvamvis non solis familiaris est malignitas, qvam antea tantum in nimia fermenti operositate i. e. volatilitate & acredine, spiritibus potissimum inimica, consistere diximus. Cum enim fomes earum s. fermentum communiter sit naturæ volatilioris & radicaliter in ipso sangvine generetur, aut ad minimum eidem immediate aliunde e. g. per inspirationem vel transspirationem communicetur, facillime fieri potest, ut non solum crasis totius massæ sangvineæ, sed etiam spirituum in sangvine habitantium subitò mutetur aut destruatur penitus, qvemadmodum lac & ejusmodi alios liqvores heterogeneos accessu paucissimi ⊖is acidi statim immutari videmus: Et tunc malignitas subesse dicitur à Practicis.

§. 6. Sic qvoqve symptomata qvædam hic magis propria observantur, nempe variolæ, morbilli, petechiæ, anginæ, pleu-

ritides, sudores colliqvativi, convulsiones &c. Talia enim præcipuè exanthemata reqvirunt fermentum volatilius acido - acre & in sangvinis potissimum sero restitans: Hoc si cum alcalinis & ♀eis sangvinis partibus concurrit, non potest, qvin tumultus & fermentationes graviores excitet, unde vel per glandulas cutis erumpit, eas plus minus corrodit, inflammat & sic ulcuscula vel ad minimum maculas rubicundas inducit: Vel si in visceribus, ex occasione qvadam data, restitet fermentum e.g. in pulmonibus pleuritidem, in faucibus anginam, in nervosis partibus convulsiones, in aliis alia producit.

§. 7. De cætero notavimus ex his febribus qvasdam ab initio ad integram sui cessationem sine omni remissione continuare; alias verò per vices nonnihil remittere; idq; exinde fieri judicamus, qvod in illis fermentum æqualiter per universam Massam sangvineam expansum sit, indeqve in æqvali tenore agat usqve ad integram sui, vel spirituum, vel subactionem aut destructionem. In his autem præter habituale, licet segnius fermentum sangvinis, aliud aliunde accedat necesse est, qvod oleum qvasi igni addere, & intemperiem augere possit. Et dubium non est, qvemadmodum in intermittentibus è primis viis aliisq; visceribus fomitem communicari diximus, ita in his qvoq; sive è ventriculo vel intestinis, sive hepate, liene, utero, pulmonibus aliisq; heterogenei qvid accedere, qvod fomitis vice fungi qveat; Id qvod maxime notabile est in febribus complicatis qvotidianis, tertianis, continuis, de qvibus mox in specie qvædam afferemus.

Ratio continuitatis & continentiæ.

§. 8. Ex illarum causarum diversitate demum tam diversa durationis tempora facillime judicare licet. Ingens certè differentia est, alias vix tertium, vel qvartum, alias tantum septimum, vel nonum, alias etiam decimum qvartum, vigesimum, imo qvadragesimum diem transcendere, qvæ tamen omnes continuæ sunt & dicuntur; qvod certè non aliunde, qvam à fermenti febrilis vigore, volatilitate, qvantitate plus minus aucta; Dispositive etiam à subjectorum temperamentis & viribus adeo diversis derivare licet.

Ratio & diversitas durationum

Ratio Crisium in his febribus

§. 9. Qvod vero terminos febrium harum speciales attinet, patet illos non nisi supposita certâ specie febris judicari posse. Imo nec in certis speciebus terminus semper est æqvalis ob temperamentorum, graduum, symptomatum aliarumq; circumstantiarum disparitatem. His qvidem continuis febribus, qvamvis non omnibus, peculiare est, qvod citatiore cursu, ac intermittentes, pergant, donec Natura aut proprio conatu, aut medicamentis adjutâ fermentum peregrinum superare & è sangvine solùm, vel plane è corpore eliminare qveat per sudores urinam, sputum, abscessus, aliasq; rationes. In principio enim febrium solutio fieri non poterat, neq; commodè in augmento, qvoniam causa morbifica licet impetuosa, tunc tamen sangvini & humoribus reliqvis adhuc intimius cohæret. Sed in statu i. e. supremo fermentationis gradu, ubi fermentum ubivis vinculis qvasi suis solutum, in sangvinem & Spiritus, hi vero in fermentum pro virili agunt, unde necessario mutatio ad salutem, vel deficiente Natura ad mortem fieri debet: Sive ille status, vel supremus gradus incidat circa diem septimum, undecimum, decimum qvartum, vigesimum primum vel vigesimum septimum. Circa hæc enim tempora faciunt aliqvid & disponunt qvodammodo ununiversalium causarum, præcipuè Lunæ & per conseqvens aeris mutationes. Ultra istum terminum ultimum verò fermentationem continuam & adeo hostilem prout in febribus continuis exqvisitis supponitur, durare posse vix posibile est, nisi superato fermenti vsgore, sed sangvinis simul crasi destructa, lenta saltem & hectica intemperies in toto corpore relinqvatur, vel renovato fermenti impetu ad recidivam redeant.

Terminus febrium Lentarum

§. 10. Nam habentur etiam præcipuè in nostris regionibus febres Continuæ lentæ e. g. hecticæ, catharrales, qvotidianæ continuæ & similes, qvæ utplurimum ex aliis morbis viscerumqve vitiis fieri solent, qvando nempe ex his sensim & vix sensibiliter labes acidi morbosi sangvini africatur, sangvis etiam sensim tantũ degenerat à naturali spirituositate, raritate, dulcedine & unde loco naturalium digestionum fiunt qvodammodo præternaturales plus minus sensibiles præcipuè à cibis sumptis; Qvoniam igitur in his

in his omnibus recessus à statu naturali est successivus, causa morbi adhuc suppressa, subjugata indeqve symptomata mitiora, terminos etiam solutionum longiores esse oportebat. Sed de his in specialibus accuratius agere licet.

CAP. IV.

De Febribus Complicatis vel mixtis.

§. 1.

FEbres tàm intermittentes, quam continuæ hactenus explicatæ miscentur & complicantur sæpius non solum cum aliis morbis, sed in specie, inter se ipsas quoque, ob causarum, subjectorum aliorumque analogiam, quæ intercedit omnibus; Ita modo intermittens cum intermittente alia, vel intermittens cum continua, modo continua cum intermittente, vel continua cum continua conjunctim invadunt, & seorsim vel conjunctim remittunt; Præcipue verò hactenus à Practicis observatæ sunt qvotidiana duplex & triplex, & quotidiana continua, item tertiana & quartana duplex, triplex & continua, & quæ rarius observantur Quintanæ duplices & continuæ. *Complicationes Febrium variæ.*

§. 2. Rara admodum est febris quotidiana duplex, & multo magis triplex, dignoscitur tamen ex eo, quod singulis diebo duo vel tres proximi, sibi invicem in proportione respondentes, ingruant & remittant rursus; Eamque tunc demum contingere arbitror, quando fermentum quidem itidem in primis viis hæret, æque ac in quotidiana simplici, ita tamen ut duplex, vel triplex fons atque minera seorsim obstructa certis ejusmodi intervallis fomitem & fermentum novum suppeditet; Absurdum enim non est, imo maxime probabile; in uno eodemque subjecto aliam obstructionem esse in glandulis intestinorum & mesenterii, aliam in pancreate in specie, aliam in hepate, liene, vel alio viscere, quarum certe quælibet certis intervallis alia quidem mane, alia à meridie, alia de nocte, turgescere potest. *Qvotidiana duplex & triplex* *Causa*

§. 3 Ita in quotidiana continua, ubi præter continuum paroxysmum etiam quotidie nova exacerbatio & remissio eodem *Qvotidiana continua*

Ejus Causa tempore & modo accidit, aliunde non est, quam à continua fermentatione sangvinis, cui tamen quotidie è primis viis stato tempore accedit novum fermentum, ex iisdem causis collectum & motum, quas de quotidiana simplici notavimus.

Tertiana duplex & triplex

§. 4. Sed longe frequentior, præcipuè inter nostrates, est tertiana duplex, rarior triplex, ubi eodem die bini, aut alternis diebus singuli, aut uno die unus, altero bini revertuntur paroxysmi & remittunt rursus, qui, ut à quotidianæ paroxysmis distingvantur, accurate attendenda sunt invasionis tempus, duratio & afflictio. Nam quoties horum omnium ratione primus paroxysmus respondet tertio, & hic quinto, secundus vero quarto, hic sexto & sic porro, de tertiana duplici dubitandum non est; Causa enim hic eadem quæ in tertiana simplici, saltem quod rursus in diversis visceribus lateat, indeque quodlibet fermentum seorsim turgeat.

Causa

Tertiana Continua

§. 5. Non minus frequens est tertiana continua à causis febris continuæ & tertianæ intermittentis producta; quæ præter continuam exæstuationem alternis diebus exacerbationem cum vel sine levi horrore habet, ita tamen, ut augmentum & decrementum ejus manifeste deprehendi possit. Illa vero complicatio, quam refert *Panarolus Pentec.2.Obs.33.* de Tertiana continua duplici cum quartana, certe fuit mirabilis, si Authori credimus.

Duplex

Hæmitritæa

§. 6. Huc pertinet in specie Hemitritæa, de qua quidem variant Authorum sententiæ; revera tamen nihil aliud est, quam febris composita è tertiana intermittente & quotidiana continua, uti videri potest apud *Timæum l.8.Cas.21.seqv.& Riverium obs.23.de morbis infrequent.* Vel ex intermittente quotidiana cũ tertiana ap. *Regium in Differt.* Vel ex continua & duplici tertiana ap.*Plater.l.2. obs.312.* Vel ex continua quotidiana & quadruplici tertiana apud *River.C.4.obs.23.* Vel denique ex intermittente præsertim tertiana simplici, vel multiplici, cum febre symptomatica continua ab inflammatione partis cujusdam ex observatione *Celeberrimi* SENNERTI NOSTRI, qui de hoc negotio pluribus egit. *Lib.2. de febr.Cap.21.*

Qvartana duplex & triplex

§. 7. Qvartanam duplicem sæpius à simplici oriri, etiam hic loci observatur, nec impossibilis est triplex, ubi æger uno tantum

tantum die immunis à febre, binis autem sequentibus novos patitur paroxysmos; Vel in triplici qvotidie novum, ita qvidem, ut primus respondeat qvarto, hic septimo, secundus vero qvinto & hic octavo; Ex iisdem principiis de qvartana simplici allatis &c. saltem in diversis locis latentibus.

Qvartana continua

§. 8. Sed omnium ferè rarissima est qvartana continua, adeo ut à qvibusdam Practicis Veteranis non fuerit observata, uti videri potest *ap. Joelem in Praxi.* Observarunt tamen eandem alii in specie cum febre continua, lenta, vel hectica conjunctam: Nec eandem ratio disvadet: Qvidni enim febri qvartanæ diuturnæ tandem accedat hectica, vel similis lenta, qvia qvartanarios, licet rarò, tamen iuterdum febribus malignis correptos legimus? Confer. *Piens de febribus, Lindan. super Hartmann.*

Qvintana duplex

§. 9. Qvin imò Qvintanam duplicem observarunt *in Ephemer. Germ. An. 9.* & forsan etiam continua datur, sed qvalescunqve etiam sint; omnes tamen è causis continuarum & intermittentiũ coalescunt, ut propterea in diagnosi, prognosi, vel cura errare non possit, qvi modo de simplicioribus ea probè notaverit. Unicum tantum adhuc notasse sufficiat, qvod omnes tales compositæ primum è simplicioribus oriantur ex erroribus variis in Cura & Diœta commissis, uti qvoad singulas species demonstrare possem9, nisi in generalioribus tantũ subsistere pro nunc placeret.

§. 10. Complicationes cum aliis morbis non attendimus, infiniti enim sunt qvi sociantur febribus: Maxime Scorbutus, uti qvibusvis aliis morbis tanqvam Protheus, ita in specie febrib9 tam continuis, qvam intermittentibus admodum familiaris est, eas exacerbat, symptomatibus auget & in periodis aliisqve non leviter turbat.

§. 11. De mutationibus febrium inter se ipsas jam tum supra dictum: Id saltem è complicationibus hic enarratis observamus, qvod si intermittentes in continuas degenerant, id fiat ob transitũ totius materiæ febrilis è primis viis in Massam sangvineã, qvibuscunqve etiam erroribus commissis: Si vero continua cum intermittente mutatur, redit tantum Massa sangvinis ad pristinum statum naturalem, collecto tamen, l. producto denuo novo fomite in

re in primis viis, idqve rursus à tot erroribus in statu sanitatis, multo magis morboso facillime contingentibus.

CAP. V.

De Symtomatib9 Febr. Specialiorib9.

§. 1.

OMnium symptomatum, qvæ in febribus contingunt, rationem afferre, esset integram ferè pathologiam conscribere; Tot enim & tam multiplicia ea sunt, ut nesciam, an ullum plane in natura symptoma detur, qvod febri cuidam complicari & ab eadem produci neqveat. Pauca igitur & ea magis essentiale attendere placet, qvæ naturam febriū, in genere hactenus utcunq; in compendio explicatā, illustrare forsan poterunt. Talia autē potissimum sunt *Horror, Rigor, calor* pn. *pulsus auctus, sitis, urina turbida & rubicunda*, qvæ omnia, si non semper, tamen ut plurimum febrium omnium insultus seqvuntur, vel comitantur.

Horror & Rigor

§. 2. Horror qvidem & Rigor communiter sociantur intermittentibus, ita, ut non solum principium sed etiam omnes paroxysmi à rigore qvasi incipiant; Isqve sæpius tantus est, ut concussio corporis non multum dissimilis expilepsiæ videatur: Sed contingit etiam etiam in febrium continuarum & mixtarum initiis, unde habetur è continuis in specie phricodes, seu horrifica species & Hæmitritæa, qvibus in toto morbi cursu horrores & rigores superveniunt, qvales etiam in febribus à suppurationibus partium internarum observantur, uti paulo post de frigore patebit. In qvibuscunqve autem sit, à salibus acidis cum volatilibus ⊡osis concurrentibus & effervescentibus qvasi, derivandus venit; Ab acidis miasmatibus non solum in primis viis, ubi intermittentium paroxysmus incipit, sed etiam in universo corpore fibrillæ & membranæ nerveæ vellicantur, unde necessario, ob archæum | vel Spirititus irritatos, eæ ipsæ partes convulsivo impetu contrahuntur & qvatiuntur.

Phricodes

Frigus

§. 3. Iste horror qvidem frigus non est, interim tamen eidem ut plurimum conjungitur frigus actuale & positivum, non solum ob interturbatum influxum calidi nativi vel spirituum ad exteriora, sed etiam ob realem particularum ♀rearum ab acido

exu-

exuperante ligationem, unde modò extrema, interdum etiam totum corpus extrinsecus tactu Medici plus minus frigidum deprehenditur; cutis videtur anserina, ob glandulas constrictas, facies pallescit, ungves livescunt &c. Contingit v.æq; in febribus continuis ac intermittentibus, in his tamẽ frequentius ingruente paroxismo in Continuis vero in principio, ubi acida effluvia cum volatilibus alcalibus adhuc de principatu pugnant; his enim superantibus mox Calor subsequitur. Sed notabile est quod interdum in paroxismis Calor præcedat & frigus sequatur, de quo legi meretur *Primirosius de febrib. l.2.C.4.* In quorum scilicet sangvine partes ♀reæ volatiles admodum exiguæ, vel facile mobiles subitò abeunt vel suffocantur, & superanti acido locum relinqvunt; Imo in quibus sangvis fere orbatus volatili alcalico, paroxysmi ægros solo frigore & horrore cruciant absque omni calore supervenienté; uti observatur in febribus diuturnis tandem declinantibus.

§. 4. Exinde præcipuè factum, quod febribus calorem, tanquam essentiale symptoma denegaverint, quod tamen vindicavimus in principio statim. Id saltem nunc addimus quod motus intestinus in sangvine & spiritus nullatenus sine calore subsistere vel concipi possit, qualiscunque etiam sit. Etenim calor immediate à motu ♀rearum & ⊖inarum partium dependet, ut posito uno, ponatur alterum necesse sit. Variat tamen rursus, pro diversitate cacochymiarum plus minus salinarum acidarum, vel alcalinarum. In quibusdam febribus præcipue continuis & tertianis interdum æstus plane exquisitus & intensissimus observatur, adeo ut omnis ferè humiditas dulcis absumatur, humores ubivis tenacius cohæreant, labia, lingua, & fauces fissuras & scabitiem contrahant; Tantum quod à sale volatiliori & acriori acido dependeant tales, à quibus omnia ⊖ia alcalisantur quasi, vel empyreuma contrahunt, uti loquitur *Helmont. Tract. pylor. Rect. §.26.* Tales etiam Causi in specie dicuntur. *Calor p. n.*

§. 5. Sed habentur etiam quædam febres ex continuis, in quibus interiora saltẽ uruntur, exteriora v. simul frigent & algent, Lypyriæ dictæ; Qvæ communiter oriuntur ex inflammatione visceris cujusdã, vel ad minimum eidem complicantur, tunc enim sangvis circa viscus inflammatum stagnans necessario fermentat, æstuat indeque calorem centralem efficit: Eo ipso vero etiam sangvis *Lypyria*

& spiritus ad interiora ruunt; (ubi enim dolor, ibi confluxus humorum) & genus membranosum nervosumque spiritu vitali destitutum alget & friget: Uti videri potest ap. *Sennert. l. 2. d. febr. C. 16. Sylv. l. 1. Prax. C. 29. Primirosi. de febrib. c. 8.*

Epialæ. §. 6. Pertinent huc febres Intermittentes Epialæ, sive simplices sive mixtæ, in quibus simul ab ubique calor & frigus vehementer urgent ab acido in lympha extrinsecus exuperante & intimus in sangvine nihilo secius fermentationem indeque calorem suppressum quidem concitante, prout quoque deprehendere licet in febribus lentis à catharris viscidis, scorbuticis & acidis oriundis. Ex ejusmodi principiis explicanda venit illa continua febris, in qua lateris sinistri totius æstus, dextri vero frigus sentiebatur ab ægro in *Actu Med. Hafniens. vol. 2. p. 137.*

Sitis. §. 7. Sitis æquè ac calor modo est intensior modo remissior & vix sensibilis itidem pro diversitate ⊖ium; quo magis enim abundant ⊖ia lixiviosa urinosa; eo magis urget sitis & contra, exuperante acido viscidæ pituitæ immerso, eadem deficit; ita tamen ut præsente nihilo secius fermentatione suppressa semper siccitas oris, lingvæ & faucium, propter lymphæ dulcioris defectum in omnibus febribus adsit: Alia ratio est, quando ægri delirant & sitim, licet præsentem, non præcipiunt, quod inter pessima febrium symptomata jam tùm Hippocrates retulit.

Pulsus auctus. §. 8. Propter ejusmodi motum hostilē spirituum etiam fieri nequit, quod febris absq; pulsu aucto concipi, vel existere possit. Spiritus qui aliàs ordinarie cordis & arteriarum fibras movent, sunt ipsum proximum & immediatum motionis febrilis subjectum; ipsimet sunt interturbati & irritati; qvomodo fieri posset, quod cor & arterias, in quibus excubant, impetuosius non moverent?

Urinæ rubicundæ & Turbidæ. §. 9. Deniq; ▫næ in febribus quibuscunq; intensius rubent, & quo intensior æstus urget, eò magis flammeum & rutilantem colorem exhibent; Acido nempe fermento fortiori in alcali sangvinis agente. Unde scorbuticorum urinæ subinde intensissimè rubent, etiam absq; febrili æstu, & ▫næ experimentaliter ab instillatis spiritibus acidis statim intensius rubescunt, minus vero ab alcali aliquo. Declinantibus verò illis ac defervescente æstu aeri expositæ citò turbantur ob recedentes scorias inter fermentandū inutiles redditas, sensimq; ad colorem citrinum redeunt. Novi quod dentur febres malignæ, eoq; pejores; in quibus nulla urinæ mutatio quoad colorem, vel substantiam observari potest. Sed in illis magis excedit ⊖ volatile alcalinum; Febres enim non solum ex acido, sed etiam alcalico, naturalem proportionem excedente, oriri, è supra dictis colligi potest.

§. 10. Studio præterimus symptomata alia: nempe deliria, convulsiones, sudores colliquativos, pleuritides, anginas, diarrhæas & alia innumera; hæc enim per accidens tantum, vel certis etiam febrium speciebus cohærent, unde etiam specialiori discursui reservamus. S.D.G.